



**H**Einricus in Austria natus & educatus à tene-  
 ris annis operam literis dedit, & in ijs singu-  
 larem doctrinam ob præclarum ingenium sibi ac-  
 quisit. Inde sese ad alias Academias contulit, &  
 solerti studio tandem Decretorum Doctor crea-  
 tus fuit. Cum hoc modo sibi auctoritatem compa-  
 rasset, hunc mundum relinquere, atque monasti-  
 cam uitam induere placuit, ut & Deo & studijs cõ-  
 modius incumbere posset. Itaque monasterium  
 Sueuiæ Schussenriedt ordinis præmõstratensis in-  
 gressus, aliquandiu ibi priuatus uixit. Eius ordinis  
 author fuit Nothbertus Lotharingus sub Lothario  
 Cæsare, Anno post Christi natiuitatem millesi-

mo centesimo uigesimo, qui postea præsul Magdenburgensis electus est. At-  
 que breui spacio multa huius ordinis cœnobia constituta. Vixerunt paulo  
 post Beringerus & Conradus barones in Schussenriedt, qui aliquandiu Cæ-  
 sarum castra sequentes equites aurati creati fuere. postea religione moti suam  
 arcem in monasterium uerterunt, atque præposituram erexerunt. Eius etiam  
 loci primus præpositus ipse Beringerus fuit, Anno millesimo centesimo o-  
 ctuagesimo octauo. Verum postea in Concilio Basiliensi præpositura in Ab-  
 batiam conuersa fuit.